



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De humilitate nostra, secundum ordinationem Dei. 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

<i>Tentationes deuotorum.</i>	15
<i>Reprobatio temporalis solatij.</i>	16
<i>Commendatio dulcedinis celestis, qua est in Christo.</i>	17
<i>De familiaritate cum Iesu.</i>	18
<i>Quod diuersimodè nunc adest Iesus dilectis suis.</i>	19
<i>De laude patientis aduersa cum Iesu &amp; scandala.</i>	20
<i>De solatio habendo cum Christo Iesu.</i>	21
<i>Vita Christi &amp; sanctorum extra mundum fuit.</i>	22
<i>De quiete cellicola à turbine seculi.</i>	23
<i>De inclusorio &amp; secreto cordis in omni loco.</i>	24

*1. Prefatio, in qua solitudo commendatur.*

**C**harissime, cū esses in occupationibus externis, & pro nomine Christi laborem subiisses fraternum, breui quadā admonitione (sicut tunc poscebat rei utilitas) te iuuare quasi spiritali manu volui, quoniam aliter non potui; vt dum illam aliquādo attenderes, rectius inter curas ambulares. Sed iam nunc cū solutus sis ab illo onere, & restitutus pristinae quieti, etiam solatium fraternum tibi nolo subtrahere: sed modicum de amore cellæ & silentij custodia (quia sic ordo postulat viuendi) dicam.

*2. Confederatio diuina bonitatis.*

**D**ebes in hac restitutione tua, diuinam super te bonitatem multiformiter attendere & ei, quacunque de causa factū sit, multum regratari. Autūno quod pro tuo profectu erit, quicquid expertus es in illo officio, quod ante nesciebas. Spero iterū, quod nō minus tibi prosperabitur ad bonum tuum, quoniam liberatus es & solutus, atque tibi plenius redditus.

*3. De humilitate nostra, secundum ordinationem Dei.*

**I**n omnibus denique temporalibus variationibus, siue per nos siue per alios contingunt, supernam ordinationem considerare debemus; & tali ordinatione nos humiliter Deo prosternere, atque petere, vt ipse nobis donet, quod salutē nostræ plus viderit prodesse. Sicut lutum in manu figuli, ita nos in manibus eius. Tantū dignetur nos facere vas in honorem, & non in contumeliam. Siue fecerit nos paruos, & contemptibiles, & extremos inter fratres nostros, non hoc multū curemus, dummodo æquē illi mereamur placere. Et vtique credimus & confiteri debemus; vnū Deum patrem nos omnes habere, quotquot siue per gratiam

tiam siue per naturam existimus. Et ideo de inæqualitate meritorum & distributione officiorum, nulli expedit iniuste cogitare aduersus aliquem quantumlibet despectum & inferiorem ceteris hominibus in hoc mundo. Ad propositum ergo rediens dico, quod propter dimissam illius officij curam, non es modo inferior aut inutilior ad pia opera facienda, de quo aliqua scripsi tibi, vt senteras tunc conuenientia: sed forte modò talia non sapiunt, quia non conueniunt bene. Sed quid in futurum adhuc valeant, nescis, cum possit res confimilis aduenire. Sunt tamen ibi, si aduertis, quedam que quieti & proposito presentis deseruiunt.

4. *Vtile est existenti in quiete, ut recogitet de priori labore.*

In quiete  
& ocio  
suauis est  
& utilis recordatio  
laboris  
præteriti.

SI ergo ad memoriam tuam redeunt illa onera & occupationes elapsæ, forsitan vtiliter interdum prosunt; tunc credo clarius senties, quantum distat inter tunc & nunc. Videbis quoque, quod tuæ virtutis non fuerat animam potuisse sub interiori custodia in occupationibus seruare, quando & in quiete vix cohibere se praualeat humana infirmitas. Pepercit igitur tibi Deus, & ideo gaude in adepta simplicitate; & conuerte sensum tuum liberius iam ad intelligentiam spiritualium rerum. Citò vilescet sapientia terrena, amanti celestem sapientiam. Rarò diu conueniunt, frequens exteriorum occupatio, & diuinorum secretorum notitia.

5. *De amore ad solitudinem & secretum.*

Cant. 8.  
Iog. 5.

VEge dilecte mi, ait sponsa: quia & sponsus Iesus legitur etiam declinasse à turba constituta in loco. Eris frequenter cum Iesu, si amaueris secretum, & curaueris custodire paradisi locum, quem beatus Hieronymus cellam nominat dicens: Quamdiu non es in patria, cella sit paradus tuus. Inibi gaudebis in Domino, & confabulaberis ei, & ille respondebit tibi: Appropinquabit cordi tuo lux eius, & veritas manifestabitur tibi amplius. Sole orto & feruente, multiplicabuntur radij illius; & Christo veniente, illustrabitur interior domus tua. Emundaberis lumine nouo, & in fulgore eius persultabunt omnia interiora tua. Et dices: Domine quis similis tibi? Quam verus sermo, quem legi: *In lumine tuo videbimus lumen*? Et nunc Domine Deus, illuminatio mea, & salus mea, in lumine tuo ambulabo, & in nomine tuo exultabo tota die, & in iustitia tua exultabo; quia gloria virtutis meæ tu es, & in beneplacito tuo voluntas mea stabit.

Psal. 34.  
Psal. 35.  
Psal. 36.  
Psal. 38.